benedictus Dominus qui non passus est ut deficeret successor familiae tuae, et vocaretur nomen eius in Israhel, et habeas qui consoletur animam tuam et enutriat senectutem, de nuru enim tua natus est, quae te diligit, et multo tibi melior est quam si septem haberes filios. Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo, et nutricis ac gerulae officio fungebatur. Vicinae autem mulieres congratulantes ei et dicentes: Natus est filius Noemi, vocaverunt nomen eius Obed. Hic est pater Isai patris David. Hae sunt generationes Phares: Phares genuit Esrom, Esrom genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Naasson, Naasson genuit Salma, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Isai, Isai genuit David. Explicit liber Ruth.

Incipit prologus sancti Ieronimi in libros Regum.

Viginti et duas esse litteras apud Hebraeos, Syrorum quoque et Chaldaeorum lingua testatur, quae hebraeae magna ex parte confinis est; nam et ipsi viginti duo elementa habent eodem sono, sed diversis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Mosi totidem litteris scriptitant, figuris tantum et apicibus discrepantes. Certumque est Ezram scribam legisque doctorem post captam Hierosolymam et instaurationem templi sub Zorobabel alias litteras repperisse, quibus nunc utimur, cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum et Hebraeorum characteres fuerint. In libro quoque Numerorum haec eadem supputatio sub Levitarum ac sacerdotum censu mystice ostenditur. Et nomen Domini tetragrammaton in quibusdam graecis voluminibus usque hodie antiquis expressum litteris invenimus. Sed et psalmi tricesimus sextus et centesimus decimus et centesimus undecimus et centesimus octavus decimus et centesimus quadragesimus quartus, quamquam diverso scribantur metro, tamen eiusdem alphabeti ordine texta sunt. Et Hieremiae Lamentationes et oratio eius, Salomonis quoque in fine Proverbia ab eo loco in quo ait: Mulierem fortem quis inveniet, hisdem alphabetis vel incisionibus supputantur. Porro quinque litterae duplices apud Hebraeos sunt: chaph, mem, nun, phe, sade; aliter enim scribunt per has principia medietatesque verborum, aliter fines. Unde et quinque a plerisque libri duplices aestimantur: Samuhel, Malachim, Dabreiamin, Ezras, Hieremias cum Cinoth, id est Lamentationibus suis. Quomodo igitur viginti duo elementa sunt, per quae scribimus hebraice omne quod loquimur, et eorum initiis vox humana comprehenditur, ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi litteris et exordiis, in Dei doctrina tenera adhuc et lactens viri iusti eruditur infantia. Primus apud eos liber vocatur Bresith, quem nos Genesim dicimus; secundus Hellesmoth, qui Exodus appellatur; tertius Vaiecra, id est Leviticus; quartus Vaiedabber, quem Numeros vocamus; quintus Addabarim, qui Deuteronomium praenotatur. Hii sunt quinque libri Mosi, quos proprie Thorath, id est Legem appellant. Secundum Prophetarum ordinem faciunt, et incipiunt ab Iesu filio Nave, qui apud eos Iosue Bennum dicitur. Deinde subtexunt Sopthim, id est Iudicum librum; et in eundem compingunt Ruth, quia in diebus iudicum facta narratur historia. Tertius sequitur Samuhel, quem nos Regnorum primum et secundum dicimus. Quartus Malachim, id est Regum, qui tertio et quarto Regnorum volumine continetur. Meliusque multo est Malachim, id est Regum, quam Malachoth, id est Regnorum, dicere; non enim multarum gentium regna describit, sed unius israhelitici populi, qui tribubus duodecim continetur. Quintus est Esaias, sextus Hieremias, septimus Hiezecihel, octavus liber duodecim Prophetarum, qui apud illos vocatur Thareasra. Tertius ordo Agiografa possidet, et primus liber incipit ab Iob, secundus a David, quem quinque incisionibus et uno Psalmorum volumine comprehendunt. Tertius est Salomon, tres libros habens: Proverbia, quae illi Parabolas, id est Masaloth, appellant, et Ecclesiasten, id est Coeleth, et Canticum canticorum, quem titulo Sirassirim praenotant. Sextus est Danihel, septimus Dabreiamin, id est Verba dierum, quod significantius chronicon totius divinae historiae possumus appellare, qui liber apud nos Paralipomenon primus et secundus scribitur; octavus Ezras, qui et ipse similiter apud Graecos et Latinos in duos libros divisus est; nonus Hester. Atque ita fiunt pariter veteris legis libri viginti duo, id est Mosi quinque, Prophetarum octo, Agiograforum novem. Quamquam nonnulli Ruth et Cinoth inter Agiografa scriptitent et libros hos in suo putent numero supputandos, ac per hoc esse priscae legis libros viginti quattuor, quos sub numero viginti quattuor seniorum Apocalypsis Iohannis inducit adorantes Agnum et coronas suas prostratis vultibus offerentes, stantibus coram quattuor animalibus oculatis retro et ante, id est et in praeteritum et in futurum, et indefessa voce clamantibus: Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat et qui est et qui futurus est. Hic prologus Scripturarum quasi galeatum principium omnibus libris, quos de hebraeo vertimus in latinum, convenire potest, ut scire valeamus, quicquid extra hos est, inter apocrifa esse ponendum. Igitur Sapientia, quae vulgo Salomonis inscribitur, et Iesu filii Sirach liber et Iudith et Tobias et Pastor non sunt in canone. Macchabeorum primum librum hebraicum repperi, secundus graecus est, quod ex ipsa quoque φρασιν probari potest. Quae cum ita se habeant, obsecro te lector, ne laborem meum reprehensionem aestimes antiquorum. In tabernaculum Dei offert unusquisque quod potest: alii aurum et argentum et lapides pretiosos, alii byssum et purpuram, coccum offerunt et hyacinthum; nobiscum bene agetur, si obtulerimus pelles et caprarum pilos. Et tamen apostolus contemptibiliora

nostra magis necessaria iudicat. Unde et tota illa tabernaculi pulchritudo et per singulas species ecclesie presentis futureque distinctio pellibus tegitur et ciliciis, ac ea que viliora sunt arcent solis ardorem et iniuriam imbrium. Lege ergo primum Samuel et Malachim meum; meum, inquam, meum: quicquid enim crebrius vertendo et emendando sollicitius et didicimus et tenemus, nostrum est. Et cum intellexeris quod antea nesciebas, vel interpretem me estimato si gratus es, vel paraphrasten si ingratus, quamquam mihi omnino conscius non sim mutasse me quippiam de hebraica veritate. Certe si incredulus es, lege grecos codices et latinos, et confer cum his opusculis, et ubicumque inter se videris discrepare, interroga quemlibet Hebreorum cui magis accommodare debeas fidem, et si nostra firmaverit, puto quod eum non estimes coniectorem, ut in eodem loco mecum similiter divinarit. Sed et vos famulas Christi rogo, que Domini discumbentis pretiosissimo unguento vertices unguitis, que nequaquam in sepulchro queritis Salvatorem, quibus iam ad Patrem Christus ascendit, ut contra latrantes canes, qui adversum me rabido ore desaeviunt et circumeunt civitatem atque in eo se doctos arbitrantur si aliis detrahant, orationum vestrarum clipeos opponatis. Ego sciens humilitatem meam, illius semper sententie recordabor: Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me; obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis.

Incipit primus liber Regum

I Fuit vir unus de Ramathaim Sophim de monte Ephraim, et nomen eius Helcana filius Ieroham filii Heliu filii Thohu filii Suph, Ephrateus; et habuit duas uxores, nomen uni Anna et nomen secunde Fenenna. Fueruntque Fenenne filii, Anne autem non erant liberi. Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni et Finees, sacerdotes Domini. Venit ergo dies, et immolavit Helcana, deditque Fenenne uxori sue et cunctis filiis eius et filiabus partes; Anne autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat; Dominus autem concluserat vulvam eius. Affligebat quoque eam emula eius et vehementer angebat, in tantum ut exprobraret quod Dominus conclusisset vulvam eius. Sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent templum Domini, et sic provocabat eam; porro illa flebat et non capiebat cibum. Dixit ergo ei Helcana vir suus: Anna, cur fles? et quare non comedis? et quare affligitur cor tuum? Numquid non ego melior tibi sum quam decem filii? Surrexit autem Anna postquam comederat in Silo et biberat. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini, cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter, et votum vovit dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famule tue, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancille tue, dederisque serve tue sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vite eius, et novacula non ascendet super caput eius. Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os eius. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. Estimavit ergo eam Heli temulentam, dixitque ei: Usquequo ebria eris? Digere paulisper vinum quo mades. Respondens Anna: Nequaquam, inquit, domine mi; nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque et omne quod inebriare potest non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial, quia ex multitudine doloris et meroris mei locuta sum usque in presens. Tunc Heli ait ei: Vade in pace, et Deus Israel det tibi petitionem tuam quam rogasti eum. Et illa dixit: Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati. Et surrexerunt mane, et adoraverunt coram Domino; reversique sunt, et venerunt in domum suam Ramatha. Cognovit autem Helcana Annam uxorem suam, et recordatus est eius Dominus. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna et peperit filium, vocavitque nomen eius Samuel, eo quod a Domino postulasset eum. Ascendit autem vir eius Helcana, et omnis domus eius, ut immolaret Domino hostiam sollempnem, et votum suum. Et Anna non ascendit: dixit enim viro suo: Non vadam donec ablactetur infans, et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi iugiter. Et ait ei Helcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, et mane donec ablactes eum; precorque ut impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, et lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte. Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, et tribus modiis farine, et amphora vini, et adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus; et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli. Et ait Anna: Obsecro, mi domine, vivit anima tua, domine: ego sum illa mulier que steti coram te hic orans Dominum. Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam quam postulavi eum. Idcirco et ego commodavi eum Domino cunctis diebus quibus fuerit accommodatus Domino. Et adoraverunt ibi Dominum. Et oravit Anna et ait:

II Exultavit cor meum in Domino et exaltatum est cornu meum in Domino et dilatatum